

# Stanisław Frankl

---

## Florilegium de "Uno ex beata Trinitate"

---

Collectanea Theologica 15/1, 3-23

---

1934

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](http://bazhum.muzhp.pl), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

## FLORILEGIUM DE „UNO EX BEATA TRINITATE“<sup>1)</sup>.

In capitulari bibliotheca Novariensi invenitur codex ex saeculo nono, qui inter cetera documenta magnam continet collectionem, cui „DIONYSII EXIGUI NOVA COLLECTIO“ inscribitur. Totum hoc opus, quod in ff. 5—96 invenitur, comprehendit 48 documenta, quorum quadragesimum „INCIPIT EXEMPLAR SANCTORUM PATRUM QUOD UNUMQUE LIBET EX BEATA TRINITATE DICERE“ intitulatur.

Postquam hic codex<sup>2)</sup> prima vice publicatus est an. 1887 ab Ambrosio Amelli O. S. B., bibliothecario archicoenobii Montis Casini, in editione „Spicilegium Casinense“ T. I., nuperrime autem ab Eduardo Schwartz in collectione „Acta Conciliorum Oecumenicorum“ T. IV vol. 2, ubi etiam permultae criticae adnotationes inveniuntur, — praesertim Amelli in sua editione sat longam atque diligentissime exaratam praebet introductionem (pp. I—CIV), — sumitur nunc quadragesimum tantum documentum, cuius explicatio obiectum est praesentis laboris.

Ut valor totius florilegii aliquatenus exponatur, non superfluum esse videtur aliquem historicum tradere conspectum, ex quo quaestionis evolutio appareat, necnon elucidetur, in quam re totius quaestionis punctum saliens positum sit.

Quamobrem 1-o generaliter inquiritur historica quaestionis evolutio, 2-o exponitur florilegii natura et scopus, 3-o problema, quod auctorem et originis tempus attinet, consideratur. In conclusione denique valor florilegii propositi dogmaticus examinatur.

---

<sup>1)</sup> Na temat ten zwrócił moją uwagę O. Salaverri, profesor Uniwersytetu rzymskiego „Gregorianum“.

<sup>2)</sup> Codex Novariensis exprimitur decursu laboris abbreviatione N. et Migne, Patrologiae Cursus Completus Series latina M. L. Series Graeca M. G.

In labore praesenti sequimur editionem florilegii a Schwartz exaratum quam magis criticam esse censemus. Cum enim Amelli serviliter curet reddere textum N. Schwartz magis prae oculis habet, ut textus florilegii genuinus restauretur. Propterea sequentia observat principia: 1. Ubi in N mendum invenitur grammaticale aut orthographicum, conatur corrigere, non tamen arbitrarie, sed applicando fontes, ex quibus ipse florilegii auctor hauriebat. Recte enim supponitur multiplicis transcriptionis causa textum genuinum corruptum esse. 2. Ubi autem instituta comparatione inter florilegium et respectivi Patris textum, aliqua dumtaxat verborum adest transpositio, relinquitur N, adiuncta adnotatione occurrentis variantis.

## 1.

Tamquam protoauctor<sup>3)</sup> propositionis „Unus de Trinitate crucifixus“ habetur apud eos, qui hanc quaestionem ex professo tractant<sup>4)</sup>, s. Proclus episcopus Constantinopolitanus. In pugna cum Nestorianis edidit an. 435 opusculum „Tomus ad Armenos“<sup>5)</sup>, ubi Christi inculcans divinitatem, sequentia inter caetera scribit: „Unum igitur et eundem Filium confitemur et sempiternum et in novissimis temporibus incarnatum, divinae naturae nihil adulterinum adicientes; nihil enim superfluum est in illo throno. Sed illud prorsus multorum sermone vulgatum dicent, et syllogismos ara-

<sup>3)</sup> Notatu non inutile esse videtur simile enuntiatum inveniri in aliqua scriptura S. Cyrilli Alexandrini ad Joannem episcopum Antiochenum missa, ubi inter caetera dicitur: „...καὶ οὕτω κηρύσσοντες οὐδὲ ὄλιως σφαλλόμεθα, ἐπεὶ περ καὶ τὸν ἕνα τῆς τριᾶδος κατὰ σάρκα ἐσταυρωθεῖσαι ὁμολογούμεν καὶ θεότῃτα παθητὴν οὐ σοκοφαντοῦμεν“ Diekamp, Doctrina Patrum de incarnatione Verbi, Münster i. W. 1907, p. 48. — Quod sensum attinet, maxime haec citatio concordat cum 39-ma huius episcopi epistula, quae reapse an. 433. scripta fuit. Cum tamen inter formulam huius citationis et respectivae epistolae sit differentia, videtur auctor huius maximi chrisiologici florilegii, a Diekamp op. c. editi, aliquam nunc ignotam S. Cyrillit epistulam prae oculis habuisse.

<sup>4)</sup> Cardin. Henricus Norisius, Historica dissertatio de uno ex Trinitate passo, Venetiis 1762 (in collectione „Thesaurus Theologicus“, Tom. IX), p. 231 ss.; Amelli, Spicilegium Casinense I p. CVs; Schwartz, Acta Conc. Oecum. T. IV. v. 2, p. VII. — Argumentatio in hisce operibus adhibita praeprimis Diaconi Liberati testimonio nititur.

<sup>5)</sup> M. L. 68, 990. Testim. Liberati.

nearum tellis infirmiores textent: Si Trinitas est eiusdem essentiae, profecto Trinitas est impassibilis; sed Deus Verbum in Trinitate spectatur, Verbum igitur est impassibile“<sup>6)</sup>. Hanc ex parte Nestorianorum obiectionem formatam ita s. Proclus refutat: „Quid igitur nos ad ista dicimus? Nimirum quod ad rationem attinet divinitatis, consubstantialem et impassibilem esse Trinitatem; neque enim Verbum dicamus passum fuisse, ratione divinitatis passum dicimus: natura namque divina nullam recipit passionem. Sed *confitentem Deum verbum unam Trinitatis personam incarnatam*, iis, qui cum fide sciscitantur, causam afferimus intelligendi quare sit incarnatus. Nam quia Deus Verbum passiones destruere volebat... incarnatur ex Virgine... et habitu formatur ut homo... et hoc modo salutem universo hominum generi tribuit; in sua quidem carne passiones destruens, sed suam deitatem servans impassibilem“<sup>7)</sup>.

Similiter in epistula eiusdem s. Procli ad Joannem Antiochenum<sup>8)</sup> et ad Armenos<sup>9)</sup>.

Ex praedictis fluit iam tempore s. Procli controversiam de propositionis „Unus ex Trinitate passus“ orthodoxia sat evolutam fuisse.

Breviter post, in concilio Chálcedonensi (an. 451) Eutychianus, archimandrita Dorotheus, ut ad ecclesiae unitatem admittatur,

<sup>6)</sup> M. G. 65, 866.

<sup>7)</sup> „ἀλλ' ὁμολογοῦντες τὸν Θεὸν Λόγον τὸν ἕνα τῆς Τριᾶδος σεσαρκωσθῆαι, διδόμεν τὴν αἰτίαν τοῦ νοεῖν τοῖς μετὰ Πίστεως ἑρωτῶσι δι' ὃ ἑσαρκώθη“ ib.

<sup>8)</sup> M. G. 65, 876 s.: „Dicentes autem iterum passibilem Deum, id est Christum, confitemur eum non esse passum eo quod est, sed eo quod factum est, id est propria carne. Et ita praedicantes nullo modo fallimur: quoniam quidem *unum ex Trinitate secundum carnem crucifixum esse fatemur*, et divinitatem passibilem minime blasphemamus“ cf. M. L. 68, 990.

<sup>9)</sup> M. G. 65, 887 s. „Sed sciscitaris me fortassis illum novitium vanumque sensum, seu vaniloquium dicens. Quia, qui confitetur eum, qui crucifixus est, Christum Deum et Patrem et Spiritum S. crucifixum confitemur, si una est Trinitatis natura. Ego autem e contrario obicio tibi et quaero: Unus ex Trinitate, qui crucifixus est, an aliquis alius extra Trinitatem? Et, si quidem unus, solutum est jurgium, si autem aliquis alius praeter Trinitatem, quartus est sine dubio gloriae Dominus... Non autem alius est factus, nisi *unus de Trinitate*, et crucifixus est carne, quia factus est... Si autem dicimus, quod in carne sua passiones Verbum suscepit, confitemur, quia et *unus est de Trinitate, qui passus est*, et Trinitas natura impassibilis mansit... Pater... et Spiritus non est crucifixus; *unus ergo de Trinitate est crucifixus*“.

publice Crucifixi divinitatem professus est: „ὁμολογοῦμεν οὖν τὸν παθόντα ἐκ τῆς τριάδος εἶναι“<sup>10)</sup>.

Mox tamen incipit huius propositionis aliqua transformatio. Theodoro Lectore testante<sup>11)</sup> Petrus Fullo, presbyter ecclesiae chalcedonensis, s. Sabae, episcopalis sedis Antiochenae cupiditate captus, contra adversarios tumultum excitavit et tamquam verae fidei tesseram creavit formulam sensu Eutyichiano: „ἅγιος ὁ θεὸς ἅγιος ἰσχυρὸς ἅγιος ἀθάνατος σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς“.

Eodem etiam falso sensu usurpavit eam imperator Zeno in suo Henotico<sup>12)</sup>.

Qam ob causam RR. PP. Felix II<sup>13)</sup> et s. Gelasius<sup>14)</sup> damnaverunt Henoticon simul cum formula Petri Fullonis.

Eiusmodi controversiae status durat usque ad tempus Hormisdæ P. Iam evanescit mera lis de verbo, sed agitur de ipsa expressionis orthodoxia. Momentum hoc ex parte catholica optime illustratur in epistula, quam an. 520 ad senatorem Faustum direxit presbyter Trifolius, qui propositionem de Uno ex Trinitate crucifixo omnino tamquam haeticam refutare conatur. „Qui unum de Trinitate — argumentatur Trifolius — dicunt passum, si Ariani non sunt, dicant de quibus tribus unus passus est. De tribus Patribus, aut de tribus Filiis, aut de tribus Spiritibus s, aut certe de tribus Diis, sicut dicit Arius. Unus Deus creator, impassibilis, immortalis. Alter vero Deus creator passibilis et mortalis, aut sicut Sabellius dicit, quia tres personas esse negat, sed tantum dici putat. Ideo unum de Trinitate Patrem dixit incarnatum et passum. Apollinaris autem negat Christum animam et intellectum habuisse et pro anima et intellectu — inquit — Deus ei fuit. Ideo dicit unum de Trinitate passum in carne. Si unus de Trinitate passus est in carne, caro mansit impassibilis; qui unum de Trinitate Filium dicunt passum, duos aut tres Filios colunt, ex quibus unus passus est, duo manent impassibiles. Si vero de Trinitate est Filius, non est de Patre secundum deitatem, neque de matre secundum carnem, sed de Trinitate Trinitas et unus de trinitate quatuor fiunt, sicut dicit Nestorius“<sup>15)</sup>.

<sup>10)</sup> Mansi, Conciliorum Collectio VII 78 s.

<sup>11)</sup> M. G. 86 (1) 175.

<sup>12)</sup> M. G. 86 (2) 2623 s.

<sup>14)</sup> M. L. 58. 905, 907. Thiel, Epistolae Romanorum Pontificum genuinae... Brunsbergae 1868, ep. 27, p. 422 ss.

<sup>15)</sup> M. L. 63, 535.

Tandem aliquando in tertio decennio saeculi VI incipiunt signa reconciliationis. Imperator Iustinus et consul Iustinianus convocant synodos, ubi quaestio controversa examinatur, et legatos ad Hormisdam P. mittunt cum epistula, in qua variis gravibusque rationibus adiunctis, apostolicam propositionis petunt approbationem<sup>16)</sup>.

Tamen Summus Pontifex respondit negative. „Nam si Trinitas — dicit Hormisdas — Deus, hoc est Pater et Filius et Spiritus s., Deus autem unus... qui aliter habet, necesse est aut divinitatem in multa dividat, aut specialiter passionem ipsi essentiae Trinitatis impingat, et, quod absit a fidelium mentibus, hoc est, aut plures deos more profanae gentilitatis inducere, aut sensibilem poenam ad eam naturam, quae aliena est ab omni passione, transferre“<sup>17)</sup>.

Cum imp. Iustini conaminibus coniunguntur nomina monachorum Scytharum, qui in proposita formula propugnanda praecipuum habent momentum. „Sunt autem nomina eorum Achilles, Johannes, Leontius et Mauritius“<sup>18)</sup>, quorum Johannes sub nomine „Maxenti Johannis servi dei“, famosam responsionem „adversus epistulam, quam ad Possessorem a Romano Episcopo dicunt haeretici destinata“<sup>19)</sup>, scripsit, ubi causam monachorum Scytharum acerrime egit.

Monachi isti fidem in Chalcedonensi concilio expressam profitebantur, atque contra Victorem, fidelissimum praefati concilii defensorem, demonstrare conabantur sollemnem huius concilii formulam comprehendere propositionem, in qua exprimat Christum incarnatum et passum unum de Trinitate esse. Cum nemo disputantium adversariis cedere voluerit, res pervenit ad forum Hormisdas P. legatorum, qui 25 III 519<sup>20)</sup> Roma Constantinopolim advenerunt<sup>21)</sup>. Quaestio fit magis implicata, quia ipsa synodus Chalcedonensis in allocutione ad imp. Martianum s. Procli Tomum

<sup>16)</sup> Thiel, op. c. ep. 129, p. 941 ss.

<sup>17)</sup> Thiel, op. c. ep. 137, p. 961.

<sup>18)</sup> Guenther, Epistulae Imperatorum, Pontificum... Vindobonae 1898, ep. 187 (in collectione „Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum“ v. 35).

<sup>19)</sup> Haec epistula invenitur apud Schwartz, Acta Concil. Oecum, T. IV, v. 2, p. 46 ss

<sup>20)</sup> Guenther, op. c. ep. 167.

<sup>21)</sup> Mansi, op. c. VIII, 815.

ad Armenos, „quem pro fidei congruentia destinavit“, inter orthodoxae fidei documenta enumeraverat<sup>22)</sup>. Jamvero Maxentius Joannes, qui acerbissimus praedictae formulae propugnatur fuit, attulit praecipue ex „Tomo“ s. Procli argumenta, quae mox pro rationibus imp. Justiniani, Facundi, Liberati, Ephraemi Antiocheni fundamentum evadunt<sup>23)</sup>. Cum itaque neque R. Pontificis legati, neque Scythae sibi invicem in propriis sentiis obsecundare noluerunt, immo utraque pars adversarios haereticarum accusabant opinionum, illi Romam proficisci constituerunt, ut sententiam suam Papae approbandam proponerent<sup>24)</sup>. Vix tamen memorati monachi Romam venerunt (Julio, vel Augusto an. 519)<sup>25)</sup>, multas et malas de eisdem R. Pontifici retulit opiniones unus s. Sedis legatorum, nempe Dioscorus<sup>26)</sup>. Insuper Possessor, episcopus Africanus, per litteras (18 VII an. 520) Pontificem de erroribus Scytharum monachorum s. Augustini doctrinam spectantibus, certiolem fecit<sup>27)</sup>. Justinus e contra ad benignam monachorum receptionem eundem Pontificem movere conatus est<sup>28)</sup>.

In tanta opinionum diversitate Hormisdas P, qui primo praedictos monachos comiter excepit, breviter post Constantinopolim eos reverti iussit atque imper. Justiniano negative de formulae controversae orthodoxia respondit<sup>29)</sup>.

Nihilominus tamen formula diem fere ex die maiorem acquirit numerum profitentium, qui erroribus Arii, Nestorii, Eutychitis anathematizatis sensu catholico eam habere conantur<sup>30)</sup>.

Perspecta denique temporis opportunitate, propter novam de controversia pugnam exortam, misit imper. Justinianus (6 VIII an. 533) ad Joannem P. legatos cum epistula et professione fidei, cui adnexa fuit formula controversa, cum supplici rogatione, ut s. Sedes formulam admitteret approbaretque<sup>31)</sup>. Similiter miserunt Romam legationem monachi Acoemetae, qui, responsione Hor-

<sup>22)</sup> Mansi, op. c. VII, 466.

<sup>23)</sup> Schwartz, op. c. T. IV, v. 2, p. VIII.

<sup>24)</sup> ib.

<sup>25)</sup> Guenther, op. c. ep. 189.

<sup>26)</sup> Guenther, op. c. ep. 216, 216.

<sup>27)</sup> Guenther, op. c. ep. 230.

<sup>28)</sup> Guenther, op. c. ep. 187, 188.

<sup>29)</sup> Guenther, op. c. ep. 206.

<sup>30)</sup> Amelli, Spicileg, Casin. I, p. CVII.

<sup>31)</sup> M. L. 61, 15 s.

misdae P. innixi, controversam formulam refutantes, Nestorii errores renovarunt.

Cognita rei gravitate convocavit R. Pontifex in Urbe synodum, ubi peracta quaestionis profundissima inquisitione, „unanimi Patrum consensu Acoemetarum sententia recitata est et confutata; ipsius vero Justiniani scripta fidei professio approbata fuit“<sup>32)</sup>, simulatque fuit declaratum Hormisdam P. memoratum formulam non simpliciter reiecisisse tamquam haeticam sed tantum velut novam atque de fraudibus Eutychianorum suspectam proscripsisse<sup>33)</sup>.

Quibus peractis Summus Pontifex (25 III an. 534) litteris imperatoris rescribendo, laudata eius pietate, ita ad quaestionem propositam respondit: „Proinde Serenitatis Vestrae apices... reverentia consueta suscepimus: quorum etiam relatione comperimus, quod fideliter populis proposuissetis edictum amore fidei pro submovenda haeticorum intentione secundum Apostolicam doctrinam fratrum et coepiscoporum nostrorum interveniente consensu, quod, quia Apostolicae doctrinae convenit, nostra auctoritate confirmamus“<sup>34)</sup>. Eodem etiam die misit idem Joannes II „Epistulam ad Senatores“, in qua definitionem suam theologicis firmat argumentis<sup>35)</sup>.

Haec authentica definitio controversiae dumtaxat catholicorum finem fecit.

## 2.

Titulus florilegij, prout in N extat, sonat: INCIPIT EXEMPLAR SANCTORUM PATRUM QUOD UNUMQUEMLIBET EX BEATA TRINITATE DICERE<sup>36)</sup>. Parvam introductionem praemissam, absque tamen verbis dedicatoriis, vel aliqua saltem subscriptione, sequuntur revera SS. Patrum testimonia, quibus thesim in titulo propositam collector probare conatur. Quaelibet harum citationum praenotatur respectiva inscriptione, ex qua fons indicari possit. Ordinem exemplorum collectionis „ingeniose juxta chrono-

<sup>32)</sup> Mansi, op. c. VIII, 816.

<sup>33)</sup> ib.

<sup>34)</sup> Guenther, op. c. ep. 84, n. 6.

<sup>35)</sup> M. L. 66, 20 ss.

<sup>36)</sup> Schwartz, Acta Conc. Oecum. T. IV, v. 2, p. 76 praefert: „INCIPIUNT EXEMPLA SANCTORUM PATRUM QUOD UNUM QUEMLIBET [LICET] EX BEATA TRINITATE DICERE“.



logiae... rationem“ dispositum esse dicit Amelli (Spicil. I. p. XXXV). Ea tamen spectata circumstantia, quod primo loco citetur Augustinus, ultimo Gregorius Nyssenus, versus finem Athanasius sequatur, minime praedictum ordinem — saltem computationis christianae — observatum esse liquet. Accuratiores ordinis „Exemplorum“ dispositio patet ex schemate, ubi — observata citationum compositione — prout in collectione <sup>37)</sup> invenitur, dempta introductione, cuilibet horum testimoniorum adnotatur numerus respectivarum citationum tempus originis exprimens.

2. S. Augustinus <sup>38)</sup> : De genesi ad litteram . . . . .	401—415.
3—19. S. Augustinus: De Trinitate . . . . .	398—416.
20. S. Augustinus: Enchiridion . . . . .	421.
21. S. Augustinus: De dono perseverantiae . . . . .	428—429.
22—25. S. Augustinus: De civitate Dei. lib. X. et XI (415—420) <sup>39)</sup> .	
26—28. S. Augustinus: Contra Maximum Arian. . . . .	428.
29. S. Ambrosius: Sermo Natalis Domini <sup>40)</sup> .	
30—39. S. Ambrosius <sup>41)</sup> : Expositio Evangelii in Lucam . . . . .	397.
40—42. S. Ambrosius: De incarnatione Domini . . . . .	382.
43—48. S. Ambrosius: De fide ad Gratianum . . . . .	377—379.
49. S. Ambrosius: Hymnus vespertinus <sup>40)</sup> .	
50—81. S. Hilarius: De Trinitate . . . . .	356—359.
82—84. S. Cyprianus: De bono patientiae . . . . .	256.
85—86. S. Athanasius: Epistula ad Adelphium . . . . .	360—371.
87. Athanasius: Sermo contra Arianos . . . . .	357.
88—89. S. Gregorius Nazianzenus: Apologeticus . . . . .	363.
90—91. S. Gregorius Naz.: (38). Sermo Natalis Domini . . . . .	380.
92—93. S. Gregorius Naz. (39). Sermo De luminibus . . . . .	381.
94. S. Basilius: Opusculum ad Amphilochem . . . . .	355.
95. S. Basilius: Epistula ad Gregorium Nyssenum . . . . .	369—370.
96. S. Basilius: Sermo de fide <sup>40)</sup> .	
97. S. Basilius: Sermo de incarnatione <sup>40)</sup> .	

<sup>37)</sup> Secundum numerationem Schwartz.

<sup>38)</sup> In temporis computatione ad operum S. Augustini originem statuendum praefertur E. Nebreda: Bibliographia Augustiniana. Romae 1928, p. 2—11.

<sup>39)</sup> Liber X, post 415; liber XX, versus 420.

<sup>40)</sup> Tempus incertum.

<sup>41)</sup> Wilbrand, Zur Chronologie einiger Schriften des hl. Ambrosius (in Historisches Jahrbuch Bd. 41 (1921), p. 1—19).

98. S. Gregorius Nyssenus: Epistula ad Ablabium <sup>40)</sup>.  
 99—100. S. Gregorius Nyssenus: Catecheticus . . . 385.

Jamvero ex superiore schemate fluit collectorem maximum citationem numerum ex classico s. Hilarii opere hausisse (coniunctim 32). Eum sequitur quoad citationum copiam (27) s. Augustinus, cuius varia adducuntur opera. Etiam copiose citatur s. Ambrosius (22). Aliorum Patrum testimonia parce adducuntur; s. Gregorii Naz. 6, s. Basilii 4, s. Cypriani, s. Athanasii et s. Gregorii Nyss. uniuscuiusque tria.

Quod citationum attinet fidelitatem, generatim est dicendum textum florilegii concordare cum respectivo textu, qui in editione tum Mignana, tum Vindebonensi, tum Berolinensi denique invenitur. Non desunt tamen permultae variantes, quae partim orthographiam, partim grammaticam, partim deinde verborum transpositionem spectant. Nihilominus tamen genuinus citati Patris textus, licet admissa aliqua modificatione semper s. Scriptoris sensum exprimit.

Cum Amelli et praesertim Schwartz hasce variantes notarint, minime opportunum videtur relata referre vel dicta repetere. Non tamen erit absque utilitate — spectato collectionis dogmatico momento — si eadem quaestio, nempe citationes, sub alio elucidetur respectu, videlicet, utrum revera „testimoniorum“ applicatio Patrum sensu adhibeatur. Claritatis tamen causa remittitur haec inquisitio ad conclusionem, ubi de valore florilegii dogmatico sermo occurrit.

Florilegium — prout in N extat — ultimis verbis caret. Spectato enim Gregorii Nysseni textu graeco „τὴν ἐξ ἐκείνου ὑπεστώτα λόγον“ <sup>42)</sup> debet terminari „Eadem invenimus *in verbo*, quod ex illo *subsistit*“, revera tamen finitur „haec regulae post eas quidem probantur esse, quae apud Ancyram vel Caesaream expositae sunt, sed Nicaenis anteriores reperiuntur“. Hac tamen considerata circumstantia, quod N dirivetur ex aliquo architypo, cui hoc ipso loco inserta erant folia quaedam ex codice canonum evulsa, explicatur, quomodo finis florilegii dogmatici etiam partiuncula canonis Gangrensis esse possit.

Haec de ipso collectionis textu.

<sup>42)</sup> Maassen, Geschichte der Quellen in der Literatur des canonischen Rechts im Abendland. Graz 1870, p. 123 s.

Cum autem varia sint florilegia, prout collectores varios prae oculis scopos habuerunt, occurrit quaestio, quaenam sit finis propositi florilegii. Nullum est dubium, quin pertineat ad classem florilegiorum dogmaticam. Hoc jam tota indole considerata primo aspectu apparet. Sed agitur, quamnam praecise veritatem collector probare voluerit.

Ut scopus florilegii elucidetur, tum interna, tum externa eiusdem critica est consideranda. Antequam ab altera — ut patet — incipiatur, editorum sententias exponere iuvabit.

Cum Schwartz caute hac de re dicit: „Omnia tria<sup>43)</sup> opuscula in hunc finem apparuit esse, sive translata sive composita, ut Joanni Papae materia pareretur argumentorum et locorum, qua se fidem Romanae ecclesiae non violasse probaret, cum Justiniano obsecutus formulam unius ex Trinitate incarnati, reciperet<sup>44)</sup>. Amelli demonstrare conatur „collectionem hac mente fuisse elaboratam, ut eidem Pontifici (sc. Joanni II) opportuna suppeditarentur documenta, quibus dogmaticae definitioni controversiae, de Uno ex Trinitate in carne passo, facilius via sterneretur.“<sup>45)</sup>

Quaenam sententia sit eligenda?

Jamvero considerata historica evolutione liquet totius quaestionis nodum in hoc praecise fuisse, utrum sit contra sensum catholicum docere: unus ex Trinitate. Incarnatio et passio, qua de re non omnes agunt, qui controversiae intersunt, sunt solummodo consequentiae admissionis quaestionis fundamentalis. Insuper omnino recte dici potest epistolam imper. Justiniani ad Joannem II. P. an. 533 directam, Pontificem movisse ad controversiam auctoritative solvendam.

Quomodo autem status quaestionis in hac epistola proponitur? „Manifestum igitur facimus — scribit imperator — Vestrae Sanctitati, quod pauci... infideles et alieni sanctae... Ecclesiae contradicere... ausi sunt... denegantes Dominum Nostrum Jesum Christum Unigenitum Filium Dei et Dominum nostrum incarnatum de Spi-

<sup>43)</sup> sc. „epistula s. Procli Constantinop. episcopi directa uniformis ad singulos occidentis episcopos“, „S. Innocenti episc. Maroniae de his, qui unum ex Trinitate, vel unam subsistentiam, seu personam D. N. I. C. dubitant confiteri“ et florilegium propositum.

<sup>44)</sup> Schwartz, Acta Conc. Oecum. T. IV, v. 2, p. XVII.

<sup>45)</sup> Amelli, Specil. Casin. I, p. XXXV.

ritu S. et ex Sancta atque gloriosissima semper Virgine Dei Genetrice Maria, hominem factum atque crucifixum unum esse sanctae et consubstantialis Trinitatis et coadorandum et glorificandum Patri et Spiritui S. consubstantialem Patri secundum divinitatem, et consubstantialem nobis secundum humanitatem, passibilem carne, eundemque ipsum impassibilem deitate. Recusantes enim D. N. J. C. Unigenitum filium dei et Dominum nostrum fateri unum esse sanctae et consubstantialis Trinitatis, videntur Nestorii malam sequi doctrinam, secundum gratiam dicentis unum Filium Dei, et alium dicentis Dei Verbum et alium Christum. Omnes sacerdotes sanctae... Ecclesiae et reverendissimi Archimandritae... sequentes sanctitatem vestram... uno consensu confitentur et glorificant praedicantes D. N. J. C. unigenitum Filium et Verbum Dei et Dominum nostrum ante saecula et sine tempore de Patre natum, in ultimis diebus descendisse de caelis et incarnatum de Spiritu S. et ex Sancta... Virgine Dei Genetrice Maria natum et hominem factum et crucifixum unum esse sanctae et consubstantialis Trinitatis, et coadorandum et glorificandum Patri et Spiritui S.“<sup>46)</sup>.

Toto epistolae imperatoris considerato tenore liquet imperatorem postquam longiore praefatione oboedientiam atque reverentiam suam filialem erga ecclesiam Romanam „quae caput est omnium Ecclesiarum“<sup>47)</sup> expresserat, exposuisse doctrinam nonnullorum, qui „adversus ea, quae ab omnibus sacerdotibus secundum doctrinam recte tenentur et glorificantur“, denegant „D. N. J. C... incarnatum... crucifixum, unum esse sanctae... Trinitatis“ consubstantialem Patri secundum divinitatem et hominibus secundum humanitatem „passibilem carne impassibilem deitate“<sup>48)</sup>. Insuper comparatione instituta inter „hanc doctrinam nonnullorum“ et doctrinam Nestorii concludit eundem esse errorem. Denique contraponendo hisce sententiis consensum „sanctae, catholicae atque apostolicae Ecclesiae“, confitetur Jesum Christum „unum esse sanctae et consubstantialis Trinitatis „ac petit, ut „manifestum nobis faciatis, quod omnes, qui praedicta recte confitentur suscipit V. S. et eorum, qui Judaice ausi sunt rectam denegare fidem, condemnat perfidiam“<sup>49)</sup>.

<sup>46)</sup> M. L. 66, 15 s.

<sup>47)</sup> M. L. 66, 15.

<sup>48)</sup> M. L. 65, 15.

<sup>49)</sup> M. L. 66, 17.

Adhuc idem Joannes II. P. in epistula s. d. „Ad Senatores“, ubi jam citationes ex proposita collectione inveniuntur, inter cetera haec dicit: „Justinianus imperator filius noster... de his tribus quaestionibus orta certamina fuisse signavit, utrum unus ex Trinitate Christus et Deus noster dici possit: hoc est una de tribus personis sanctae Trinitatis sancta persona. An Deus Christus carne pertulerit impassibili deitate. An proprie et veraciter mater D. N. J. C. Maria semper Virgo debeat appellari. Probavimus in his catholicam imperatoris fidem, et ita esse prophetis et apostolicis vel Patrum exemplis evidenter ostendimus: Unum enim ex sancta Trinitate Christum esse hoc est unam de tribus s. Trinitatis personis sanctam esse personam, sive subsistentiam... Deum vero carne passum his nihilominus roboremur exemplis gloriosam vero Sanctam semper virginem Mariam proprie et veraciter Dei Genetricem matremque Dei Verbi, ex ea incarnati, ab hominibus catholicis confiteri recte docemus“<sup>50)</sup>.

Comparata hac epistula cum epistula imperatoris patet Pontificem quaestionem, ubi agitur primario de orthodoxia propositionis „Jesus Christus unus est S. Trinitatis“, secundario autem de incarnatione atque maternitate divina et de passione in tres resolvisse quaestiunculas, quarum unamquamque singulatim ope argumentorum tum Scripturare tum SS. Patrum probare conatur<sup>51)</sup>.

Restat denique testimonium ipsius Dionysii Exigui ex praefatione ad versionem S. Procli tomi ad Armenos desumptum. „Et quia nunc — dicit Dionysius — aliqui ob iniectum scrupulum de vera fide trepidant et unumquemlibet ex beata Trinitate pronuntiare diffugiunt, ne scilicet divisionem Trinitati, videantur inferre, post auctoritatem apostolicam idipsum exequentem multipliciter venerabilium quoque Patrum testimoniis approbatum est ob distinctionem personarum, cum ratio poposcerit unum ex tribus fideliter posse praedicari...“<sup>52)</sup>. Dionysius Ex. explicando quamnam utilitatem versio operis S. Procli habere possit, atque comparato temporis S. Episcopi Constantinop. et coaetanei

<sup>50)</sup> Mansi, op. c. VIII, 803.

<sup>51)</sup> M. L. 66, 20—24; Schwartz, Acta Concil. Oecum. T. IV, v. 2, p. 206—210.

<sup>52)</sup> Schwartz, op. c. p. 196.

dogmaticarum controversiarum momento, declarat tum tempore S. Procli, tum sua aetate aliquos esse, qui trepidant pronuntiare propositionem: unus ex beata Trinitate, quamobrem etiam argumenta antistitis Constantinopolitani, quibus olim error refutabatur, etiam nunc valorem suum habere opinatur.

Contra eiusmodi argumentandi methodum aliquis merito obiicere possit omnia allata non ad propositam collectionem, sed ad authenticam Joannis II. P. declarationem referri. Jamvero concedendum est ea, quae afferuntur, directe non habere prae oculis respectivum florilegium, tamen negari nequit allata testimonia ex una parte statum quaestionis vel temporis exigentiam elucidare, ex altera autem illustrare Pontificis epistulae finem, qui cum fine florilegii eatenus idem habet fundamentum, quatenus collectio tamquam medium opportunum ad controversiam authentice solvendam, materiam suppeditaret. Hoc, ad quod adducitur critica externa, rationibus internis probatur.

Jam ipse florilegii titulus, ad quem aperte alludit Dionysius in versione operis S. Procli,<sup>53)</sup> proponit quaestionem. „Incipit exemplar Sanctorum Patrum quod unumquemlibet ex beata Trinitate dicere“. Cum pateat nullum esse sermonem de passione in carne vel de incarnatione, secundum sana exegeseos principia hoc sensu titulus est intelligendus, quo exponitur absque augmento vel restrictione, si aliunde sc. ex critica interna huiusmodi restrictio non insinuetur. Reapse vero sine difficultate atque seposita aliqua artificiali exegesi propositio haec intelligitur: „Incipiunt citationes SS. Patrum, quibus demonstretur, quod unumquemlibet, vel unamquamlibet divinam personam Unum ex beata Trinitate nominare liceat.

Clarius atque magis stricte ponitur punctum saliens totius quaestionis jam in praefatione. „Cum ratio postulaverit ob distinctionem personarum minime dubitare debemus et quod Christus Verbum virtus et sapientia Patris, sicut ante, sic et post incarnationem, unus ex Trinitate sit, quia incarnatio illa, quam pro generis humani redemptione suscepit, sicut nihil ei contulit, ita quoque nihil ademit, quominus idem ipse qui utriusque naturae una persona est, non unus beatae Trinitatis esse credatur“ (n. 1). Cum in titulo generaliter pronuntietur de unaquaque divina persona, quae dici possit Unus ex beata Trinitate, praefatio huiusmodi

<sup>53)</sup> ib.

expressionem restringit ad solum Verbum incarnatum, non quominus haec propositio de aliis etiam personis divinis dici nequeat, sed tota in hoc est, ut ostendere possit eundem Filium Dei sicut antequam incarnatus sit, sic etiam post corporis humani assumptionem esse unum ex Trinitate, quia incarnatio sicut nihil ei contulit, ita nihil ademit, quominus unus ex beata Trinitate appellari nequeat. Considerato tamen sensu quo propositio „Unus ex beata Trinitate“, utatur tum in titulo, tum in praefatione, atque spectatis ipsis adhibitis in collectione SS. Patrum testimoniis patet sensum propositionis in titulo expressum revera adductis citationibus probari.

Totum florilegium constat 99 citationibus, ex quibus aliquae classes erui possunt. Primam classem constituunt „exempla“, quibus probatur propositionem „unus ex Trinitate“, aut aequivalentem, familiarem apud SS. Patres esse<sup>54</sup>). Ad secundam pertinent citationes, ex quibus sequitur in SS. Trinitate esse perfectissimam unitatem et aequalitatem quoad essentiam divinam, trinitatem quoad personales proprietates, atque unamquemlibet personam divinam verum Deum esse<sup>55</sup>). Tertia classis constat testimoniis, quibus praecise divinitas Christi eiusque a Patre processio demonstratur<sup>56</sup>). Sequitur classis quarta, cuius est ope argumentorum patristicorum ostendere eundem Christum esse revera Filium Dei et hominis<sup>57</sup>). In quinta classi eodem modo probatur Christi dei incarnatio et B. V. M. maternitas divina<sup>58</sup>). Ad sextam denique pertinent classem testimonia, in quibus plus minusve expresse de Christo in

<sup>54</sup>) „Unus ex nobis“ n. 2; „aliqua ex Trinitate persona“ n. 3, 4, 6; „unus ex Trinitate“ n. 5; „quamlibet ex Trinitate personam“ n. 7; „aliqua in Trinitate persona“ n. 19; „cum in Trinitate sit Christus“ n. 10; „unus trium“ n. 20; „una... in Trinitate persona“ n. 21; „unus in tribus“ n. 26; „uniuscuiusque eorum, qui in S. Trinitate creduntur“ n. 95; „Existimet haec opera utrum uni adsignetur personae eorum, qui in sancta Trinitate creduntur, an per tres eat virtutis effectus“ n. 98. — Ad eandem classem testimonium S. Basilii adnumeratur: „sicut enim Pater unus est et Filius unus est, ita et Spiritus S. unus est“ n. 96.

<sup>55</sup>) n. 11, 12, 13, 15, 16, 17, 18, 22, 23, 24, 25, 26, 27, 28, 34, 53, 54, 66, 92, 93, 94, 99.

<sup>56</sup>) n. 31, 32, 33, 35, 36, 39, 40, 41, 56—65, 67, 69, 70, 78, 79—82, 82, 85, 87, 89, 100.

<sup>57</sup>) n. 73, 74, 75, 76, 97.

<sup>58</sup>) 29, 30, 37, 38, 43, 46, 48, 50, 52, 59, 71, 72, 73, 74, 80, 81, 82, 85, 87, 88, 89, 90.

carne passo sermo est<sup>59</sup>). Nullibi tamen proh dolor in tota hac collectione invenitur textus, quo directe propositio „Unus in Trinitate in carne passus“ probetur.

## 3.

Quisnam sit auctor huius florilegii?

Amelli, qui ex professo hanc ponit quaestionem, praedictae collectionis compositionem Dionysio Exiguo attribuit. Hanc sententiam Hurter non improbabilem esse censet<sup>60</sup>). Contrariam in aliquo sensu sententiam tenet Schwartz. In aliquo sensu, quia magna utitur distinctione. „...etsi igitur — dicit — inter eos homines, qui materiam illam Joanni P. praeparabant, et Dionysium connexum quendam fuisse facile concedo, tamen ipsum Dionysium totius huius collectionis auctorem fuisse nego pernegoque“<sup>61</sup>). Bardenhewer deinde aliquam intermediam exprimit sententiam. „Dass sie — scribit professor monacensis — von Dionysius übersetzt bzw. zusammengestellt wurden, wäre an sich und für sich wohl möglich, läßt sich aber nicht wahrscheinlich machen“<sup>62</sup>). Reliqui ut Schanz<sup>63</sup>) et auctores articulorum encyclopedisticorum relata referunt.

Praeprimis considerandae sunt rationes, quae pro et contra adducuntur. Primum argumentum deducit Amelli „ex ipsa materiei

<sup>59</sup>) „Et in hac (sc. immortalitate corporis) quippe similes erimus Deo, sed tantummodo Filio, quia solus in Trinitate corpus accepit, in quo mortuus resurrexit atque id ad suprema perduxit“ n. 14; „Generatio generationi non praeiudicat nec caro divinitati, quia, nec pignus patri, nec voluntas passioni, nec passio voluntati; idem enim patiebatur et non patiebatur, moriebatur et non moriebatur, sepeliebatur et non sepeliebatur, resurgebat et non resurgebat et non resurgebat, quia corpus proprium suscitabat“ n. 41. „Quod enim caro Verbi patiebatur, vel manens in carne Dei Verbum patiebatur carne, sicut scriptum est „Christo in carne passo“ (1 Pet. 4, 1) in se utique pro corporis adsumptione referebat, ut quae nostra sunt, ipse susciperat et suis circum vestiret humana, recte enim secundum naturam suam et caro passa est, nec ea corporis passione Verbi natura mutata est“ 42n. . „Ecce quae patitur etiam [et] nunc Verbum Dei“ n. 91. — Insuper cf. n. 44, 45, 47, 51, 63, 68, 71, 72, 77, 82, 83, 84, 86, 91.

<sup>60</sup>) Nomenclator I, 497 (ed. 3).

<sup>61</sup>) Acta Conc. Oecum. T. IV, v. 2, p. XVII.

<sup>62</sup>) Geschichte der altchristlichen Literatur, München 1932, V 226.

<sup>63</sup>) Geschichte der römischen Literatur, München 1920, VII, 590.



analogia“. „Cum enim — ita pergit — haec anonima collectio contineatur in codice cuius maxima pars Dionysii opera... com-  
plectitur, nihil tam naturale est, quam quod ceteris paribus, eidem  
auctori probabilius adjudicari possit“<sup>64)</sup>. Revera toti huic collec-  
tioni, quae quadraginta octo documenta continet, inscribitur  
„*Dionysii Exigui nova collectio*“. Unde sequeretur uniuscuiusque  
horum documentorum auctorem Dionysium Ex. esse. Hoc ultimum  
tamen ea praesertim spectata circumstantia, quod Dionysii ope-  
ribus numquam desit aut epistula dedicatoria aut nominis sub-  
scriptio<sup>65)</sup> et quod in praedicta collectione nihil praeter aliquam —  
ut dicit Amelli — in nonnullis tantum documentis stili similitu-  
dinem, ullum inveniatur vestigium, ex quo auctoritas Dionisii Ex.  
probetur, vix probabilitatis speciem attingit.

Secundum argumentum deducit Amelli ex „eiusdem Collec-  
tionis fontibus quippe quae, cum ex scriniis apostolicis derivaverit,  
nulli melius convenire possit, quam Dionysio, cui scrinia ipsa  
plus, quam triginta annis speciali RR. Pontificum privilegio reser-  
vata patuerunt“<sup>66)</sup>. Cum ipsum huius rationis suppositum adhuc  
indigeat probatione, argumentum hoc valde tenui probabilitate  
fulciri declaratur.

Tertium argumentum ex hac fluit circumstantia, quod in  
praedicta collectione sint inserta acta Concilii Chalcedonensis,  
quorum translatio probabiliter Dionysium auctorem habet<sup>67)</sup>. —  
Cum ipsum argumenti suppositum probabilitatem non excedit,  
nequit etiam conclusio maiorem vim habere, praesertim, quia  
in collectione sub nomine Dionysii Ex. exarata inveniuntur opera,  
quae certissime alia pollent auctoritate<sup>68)</sup>.

Aliud argumentum deducit Amelli ex ipsa collectionis na-  
tura. „Collectionis natura — ait — apprime systematica, et do-  
cumentorum ordo juxta chronologiam digestus, eorumque since-

<sup>64)</sup> Spicil. Casin., I, p. L.

<sup>65)</sup> Schwartz, Acta Conc. Oecum. T. IV, v. 2, p. XVII. Ibidem inve-  
nitur probatio. Streve, Die Canonessammlung Dionysii Ex. in der ersten  
Redaction, Berlin Leipzig 1931, p. 1.

<sup>66)</sup> Spicil. Casin. I, p. L.

<sup>67)</sup> ib.

<sup>68)</sup> Spicil. Casin. I, p. 148, docum. XXXIX „Incipit Sancti Innocenti Epi-  
scopi Maroniae de his, qui unum ex Trinitate, vel unam subsistentiam, seu  
personam Dominum nostrum Jesum Christum dubitant confiteri“. Insuper  
cf. ibid. doc. XVII—XXI, XXVII.

ritas nulli melius quadrare possunt, quam Dionysianorum Collectionum indoli“<sup>69)</sup>. Reipsa Dionysium Ex. summi momenti opus pro chronologiae ordine formando exarasse nemo est qui ignoret, quo tamen ejus indoli considerata necnon spectato ipsius collectionis de „Uno ex beata Trinitate“ schemate argumentum merito retorquetur.

Quintum argumentum ita construitur: „Scopus generalis totius Collectionis pro controversia de „Uno ex Trinitate in carne passo“, quantum Dionysio specialiter aptari possit, ex iis, quae supra edisseruimus, satis aperte constare videtur“. — Licet sententia de collectionis scopo minus probabilis existimetur, spectato tamen Dionysii in hac controversia momento ratio haec aliqua addita probatione probabilitatem pro Dionysii Ex. auctoritate fundat. Similiter nonnisi probabilitate fulcitur argumentum sequens quod ex mirabunda Dionysii eruditione, praesertim in scriptis SS. Patrum pro florilegio dogmatico componendo tam necessaria deducitur.

Ultima denique ratio<sup>71)</sup>, quae spectata similitudine inter propositum florilegium, epistolam Joannis II. P. „Ad Senatores“ et praefationem Dionysii, versione operis S. Procli adnexam, adhibetur, probatur doctum Scytham revera hoc florilegium vidisse. Plus adhuc minime demonstratur.

Rationes quae contra Amelli a Schwartz excuduntur breviter ad tria deduci possunt. 1) In collectione nomine Dionysii Ex. ornata deest versio tomi S. Procli certissime ab eodem Dionysio exarata. 2) Desunt testimonia ex memorato tomo S. Procli tum in proposito florilegio, tum in epistula Joannis II. 3) In florilegio deest subscriptio Dionysii, aut epistula dedicatoria<sup>72)</sup>.

Attamen considerata ipsius versionis dedicatione, ubi tum de florilegio, tum de apostolica auctoritate (sc. epistolae Joannis II. P.) sermo est<sup>73)</sup>, facile patet ipsam hanc versionem relate ad florilegium et epistolam Ad Senatores tempore posteriorem esse. Unde difficultas 1. et 2. solvitur.

<sup>69)</sup> Spicil. Casin. I, p. LI.

<sup>70)</sup> ib.

<sup>71)</sup> Spicil. Casin. I, p. LII.

<sup>72)</sup> Schwartz op. c., p. XVIII.

<sup>73)</sup> Schwartz op. c., p. 196.

Nihilominus tamen manet ratio tertia, quae spectatis variis Dionysii Exigui scriptis seriam contra auctoritatem Scythae praebet difficultatem. Utrum indissolubilem?

Certum est memoratum florilegium ultimis verbis carere. Caruitne in manuscripto ipsius auctoris? Estne proposita collectio quippe quae invenitur in *N* omnino absque mendis et textus mutationibus, quae minime collectoris auctoritate teguntur? Ipsa textus critica oppositum concludit. Ea tamen spectata circumstantia, quod revera in tota hac collectione, quae „Dionysii Exigui nova collectio“ inscribitur inter 48 documentis vix tria extent, quae revera de re controversa agunt, quod plura sint quorum auctoritas minime Dionysio Ev. attribui, possit<sup>74)</sup>, insuper ortu ipsius codicis Novariensis considerato, cum probabilitate sat — ut videtur — fundata concluditur, praedictum titulum in falso loco appositum esse. Forsitan collocandus est in capite propositi florilegii. Quidquid tamen sit, rationem pro auctoritate Dionysii Ex. in titulo, prout in *N* invenitur, fundatam valde tenuem probabilitatem habere liquet.

Quamvis analysis argumentorum, quae pro et contra Dionysii auctoritatem proferuntur, insufficientiam eorundem ostendit, tamen iis, quae de historica controversiae evolutione dicta sunt, bene perpensis necnon ipsius Dionysii Ex. indole considerata, pro doctissimi Scythae auctoritate aliquid afferri posse ex dicendis apparet. Jamvero praesertim tempore Hormisdæ P. Scythae tamquam antesignati prae ceteris magnum in hac controversia momentum habuerunt. Dionysius Ex. etiam „Scythæ natione“, licet „moribus omnino Romanus“<sup>75)</sup> fuerit, indigenarum tendentias minime ignorabat. Insuper „tanta latinitatis et graecitatis peritia fungebatur, ut quoscumque libros graecos in manibus acciperet, latine sine offensione transcurreret, iterumque latinos Attico sermone relegeret, ut crederes hoc esse conscriptum, quod os eius inoffensa velocitate fundebat“<sup>76)</sup>. Deinde propter assiduam scriptorum SS. Patrum lecturam ad magnam eorundem doctrinae notitiam pervenerat, ut reipsa aptus esse videbatur ad tale florilegium exarandum, praesertim cum jam „petitus a Stephano episcopo

<sup>74)</sup> Doc. XVII—XXI, XXVII, XXXIX.

<sup>75)</sup> M. L. 70, 1137.

<sup>76)</sup> M. L. 70, 1138.

Salonitano ex graecis exemplaribus canones ecclesiasticos... magna eloquentiae suae luce composuerit“<sup>77)</sup>.

Quae cum ita sint, magna cum probabilitate concludendum esse videtur Dionysium Exiguum revera ipsius florilegii „Incipit exemplar Sanctorum Patrum“... minime autem totius collectionis, quae in N nomine ejus munitur, auctorem, vel saltem unum ex principalioribus redactoribus esse.

Quando est hoc florilegium compositum?

Cum quaestio de auctore adhuc „in aëre pendeat“, non potest — ut patet — originis tempus cum plena statui certitudine. Attamen circumstantiis quibusdam consideratis, jam aliqua certitudo statuitur. Absque dubio apparet praesertim ex duorum documentorum comparatione Joannem II. P. ad epistolam suam „Ad Senatores“ exarandam testimoniis florilegii propositi usum esse. Cum tamen illi documento definitivo diem 25. m. Martii an. 534 apponendum esse omnes conveniant, eo ipso secundus pro tempore computando terminus statuitur<sup>78)</sup>. Restat, ut primi temporis terminus, vel tempus „a quo“, rite demonstretur. Jamvero Liberato testante, misit imperator Justinianus 6. VI. 533 Romam suos legatos Hypatium et Demetrium, ut S. Sedem de controversiae statu certiore faciant, atque definitionem authenticam petant contra Acumitensium, Cyrum et Eulogium, ejusdem S. Sedis legatos, „negantes esse confitendum B. Mariam vere proprie Dei Genetricem, et unum de Trinitate incarnatum et in carne passum“<sup>79)</sup>. Hanc legationem munivit imperator sua epistula, in qua breviter status quaestionis exponitur<sup>80)</sup>. Haec vero circumstantia, quod ipsi R. Pontificis legati propositionem sensu ab eodem Pontifice jamjam pro orthodoxa declarandam oppugnassent viam sternit conclusioni, propositum florilegium adhuc ignoratum fuisse. Spectata tamen tum ipsius florilegii, tum controversiae gravitate facile identificatur τὸ „ignotum“ cum pura absentia. Quae cum ita sint, non sine certitudine concludendum est, tempus originis praedicti florilegii terminis 6 Junii 533 et 25 Martii 534 claudi<sup>81)</sup>.

<sup>77)</sup> M. L. 70, 70, 1137.

<sup>78)</sup> Amelli. Spicil. Casin. I, p. XL.

<sup>79)</sup> M. L. 68. 1036.

<sup>80)</sup> Cf. supra p. 5.

<sup>81)</sup> Amelli. Spicil. Casin. I, p. XL s.

### Conclusio.

Superest, ut ea, quae hucusque magis analytice de florilegio sunt exposita, perspicuitatis ac facilioris intelligentiae gratia breviter in synthetica reddantur conclusionem, quae valorem dogmaticum collectionis indicet.

Quamobrem quaeritur: a) utrum florilegium thesim propositam probaverit, b) utrum adhibita testimonia, spectato textu et contextu, revera vi demonstrativa polleant.

Sepositis nonnullis citationibus (n. 8. 9. 49. 55. 99.), quae pro scopo theseos demonstrando vix aliquod praebeant argumentum, spectata tum critica externa tum internis consideratis testimoniis sequitur auctorem florilegii praecise prae oculis habuisse demonstrare: propositionem „Unum ex Trinitate“ optime cum SS. Patrum doctrina concordare, minime tamen ex hoc liquet, praefatum florilegium trinitarium esse. Suppositum „Unus ex Trinitate“, quod in tribus divinis verificatur personis, applicat auctori praecise ad Verbum Dei et ostendit Christum reipse „Unum ex Trinitate“ dici posse. Incarnatio et passio sunt solummodo huius suppositi consequentiae. Quae cum ita sint, liquet collectionem propositam, cuius praeprimis est demonstrare Christum unum ex beata Trinitate dici posse, κατ' ἐξοχὴν christologicam esse, ad quam propositionem demonstrandam optime patrum citationes eliguntur.

Habentne tamen hae citationes, in ipsorum SS. Patrum operum luce consideratae, revera vim demonstrativam?

Jamvero spectato textu et contextu omnino est concludendum reapse omnes citationes in sensu SS. Patrum adhibitas esse.

Praebuitne tamen hoc florilegium magnam pro controversiae solutione authentica materiam? — In celeberrima sua epistula „Ad Senatores“ adhibet Joannes II. P. 16 SS. Patrum citationes, inter quas quinque dumtaxat inveniuntur, quae etiam in florilegio collocatae sunt. Non indigna notatu est etiam haec circumstantia, quod Augustini opus citando, contra Maximinum Arianum scriptum, Summus Pontifex ex eodem libro ac auctor florilegii hauriat, licet loco mutato. Similiter utitur Joannes II. P. eorundem SS. Patrum, qui in florilegio proposito occurrunt, testimoniis, alia tamen adhi-

bet opera. Unde liquet etiam sententiam eorum, qui principalem scopum florilegii praeprimis practicum fuisse dicunt<sup>82)</sup>, ac si collectio pro authentica controversae propositionis de finitione argumenta suppeditare debuerit, sat tenui fundamento inniti.

Nihilominus tamen ipsum florilegium, in se consideratum, valorem dogmaticum praecise in eo habet, quod pro respectivis thesibus demonstrandis veros patristicos flores praebere possit.

*Romae*

*Sac. Stanislaus Frankl.*



---

<sup>82)</sup> Cf. supra p. 12.